

oportunae diligentiae et intervenire nonnulli ex eisdem cardinalibus et aliis romaniae Curiae officialibus per saepe tanta accurata diligentia non adhibeatur, promitto et iuro, in his quas per me edi contingerit regulis et constitutionibus, post primam editionem solitam, nunquam cardinales includere nisi illum eorumdem cardinalium favorem concernerent, vel in concilio eorumdem cardinalium, seu maioris partis eorumdem ederentur, de quo constet subscriptionem trium priorum ordinum eorumdem in concistorio, et regula quae sit edita ad cancellariam apostolicam legenda transmittetur; inhibeo quoque vicecancellario et eius locum tenenti ne aliquam regulam et constitutionem in qua cardinales expresse nominantur favorem eorumdem non concernentem, in eadem cancellaria permittat aut in libro regulari ejus annotari et describi nondum, et quotiens de ipsorum consensu cardinalium facta non fuerit et per tres priores ordinum eorumdem subscripta.

Item, cum ex concessione specialium reservationum quas Romani Pontifices praedecessores nostri et praesertim felicis recordationis Sixtus IV, Innocentius VIII, Alexander VI et Julius II concesserunt, varia incomoda et scandala per saepe sint exorta debeanturque, opinione omnium curialium, expediri Sedi Apostolicae et Romanae Curiae, ob illarum concessione, quam verior opinio damnat, abstinere promitto, juro, et voveo nullas speciales reservationes quae per cancellariam apostolicam, iuxta illum stilum, expediri solitae sunt concedere, et ab earum concessione penitus et omnino desistere, et non permittere quod aliquis qui non sit ex supradictis Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus hactenus concessis et quas concedi contingat, utatur et ex eis effectum quoquomodo reportet, exceptis reservationibus, concessionibus seu quomodolibet concedendis in personam dictorum cardinalium, quas et omnia et singula et in eis contenta illesas et illesa hactenus fuisse et esse et in futurum fore statuo, declaro atque decerno.

Item, cum provide considerandum sit quod castella et terrae seu civitates Sanctae Romanae Ecclesiae in plena et stabili obedientia Sedis Apostolicae et cum majori subditorum satisfactione et consultatione gubernabuntur si singulo singulis cardinalibus tenendae et possidende cum ipsarum arcibus et integra jurisdictione et omnibus redditibus assignabuntur et tradeantur, quam si a gubernatoribus earumdem, ut hactenus factum est, retineantur, unde, magistra experientia retroactis temporibus adveniente Sedis Apostolicae vacatione, et nunc po-

tissime compertum est, defectus et rebellionis ipsarum terrarum promovisse cum maximo dedecore et detrimento, ideoque, hujusmodi considerationibus moti, attendentibus etiam quod alias talia per superiores Pontifices praedecessores meos escogitata fuerint licet executioni minus mandatae, juro et promitto 46 quod unicuique dominorum cardinalium, qui nunc sunt et pro tempore fuerint, unam terram, civitatem seu castrum cum illius arce uterque S. E. eam habuerit et plena jurisdictione ac singulis redditibus et proventibus illius secundum factam desuper per dictos cardinales, sede praedicta vacante, in eorum congregationibus distributionem, tradam et assignabo, ac ut praefertur tradita et concessa confirmabo ad vitam dumtaxat illius cardinalis regendam, tenendam et possidendam, ita tamen ut eorum capitalium criminum fiat remissio ad rectioni Sanctae Romanae Ecclesiae, ut etiam ipsi domini cardinales locum aliquem specialem habeant in quo libere, vel ad declinandam pestis causam, vel recreationis causa possint se recipere. Ita cum iidem cardinales in manibus meis iurabunt, quod castellanos et officiales suos quos in huiusmodi terris et arcibus deputabunt, obligabunt, sub speciali et expresso iuramento, quod superveniente obitu cardinalis, aliquam terram vel castellum seu civitatem sit possidentis, illam vel illud cum arce, si habuerit, in manibus meis vel successorum meorum libere et expedite statim, sine ulla exceptione, tradent et consignabunt.

Item, cum multi ex dominis cardinalibus, praesentes sive absentes, nonnullas ecclesias cathedrales, etiam metropolitana, monasteria, prioratus, praepositorum, administrationes, officia et alia ecclesiastica beneficia secularia vel quorumvis ordinum regularium obtineant et possideant, resignaverint seu eorum comendis cesserint, et in posterum quae obtinent et possident aut obtinebunt et possidebunt resignare seu cedere in aliorum favorem intendant, promitto et juro concedere, prout de praesenti concedo, etiam si in resignando hujusmodi regressi sibi reservati non fuerint, ipsis dominis cardinalibus, qui hujusmodi ecclesias, monasteria et alia ecclesiastica beneficia resignaverint aut resignabunt, sive eorum comendas cesserint aut cedent in posterum quatenus cedentibus vel decedentibus his qui per huiusmodi resignationem seu cessionem monasteria ipsa etiam habere, regressum et alia beneficia ecclesiastica etiam obtinuerint, libere et plenissime ad easdem ecclesias, monasteria etiam habere regressum eorumque possessionem ipso jure